Fragmentarium

... qui ... amicitiam. Ad amicum et si produxeris gladi-
um: non desperes. Est enim regressus ad
amicum. Si aperueris os triste: non ti-
mas. Est enim concordatio excepto convitio
et improperio et superbia et misterii
revelatione et plaga dolosa. In his omnibus
effugiet amicus. Fidem posside cum amico
in paupertate illius: et in bonis illius lete-
ris. In tempore tribulationis illius perma-
ne illi fidelis: ut et in hereditate illius
coheres sis. Ante ignem camini vapor et
fumus ignis inaltabitur: sic et ante san-
guinem maledicta et contumelie. et
mine. Amicum salutare non confundar.
et a facie illius non me abscondam. et
si mala michi evenerint per illum: susti-
nebo. Omnis qui audiet: cavebit se ab
eo. Quis dabit ori meo custodiam. et super
labia mea signaculum certum. ut ne cadam
in ipsis et lingua mea perdat me. Cap. LXI.
xxiii Domine pater et dominator vite mee.
ne derelinquas me in consilio illorum:
nec sinas me cadere in illa exprobratione.
Quis superponit in cogitatu meo flagella.
et in corde meo doctrinam sapientie.
ut ignorationibus eorum non parcant michi. et non
appareant delicta illorum. ne adcrescant ig-
norantie mee. et multiplicentur delicta
mea. et peccata mea abundent. et incidam
in conspectu adversariorum meorum. et gau-
deat inimicus meus. Domine pater et deus
vite mee. ne derelinquas me in cogitatu
illorum. Extollentiam oculorum meorum ne de-
deris michi. et omne desiderium averte

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/12, fol. [1]r – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68104)